

# VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

## Rerum index:

**An Theologia sit vera scientia.**

**Philosophicae disputationes Modernistarum Inter et Thomistam.**  
— Quid sit iudicium liberum investigatur.

**De conditionibus quibus continetur latinae linguae perceptio.**  
(Concluditur).

**Triticum et Uva.** (Imitatio carminis Victoris Delaporte, S. I.).

**Ex Italis urbibus.** — De Paulo Albera sacerdote, Rectore Salesianorum  
Maximo nuper electo.

**Acta Pontificia:** Motu proprio quo qaedam statuuntur leges ad modernismi periculum propulsandum.

**Ex Sacris Congregationibus Romanis sententiae novissimae selectae:** Ex Congregatione Consistoriali — Ex Congregatione S. Offici  
— Ex Congregatione Rituum — Ex Congregatione de Sacramentis  
— Ex Congregatione de Religiosis.

**Diarium Vaticanum.**

**Annales.** — Cretensis quaestio — Regia itinera.

**Publici per orbem coetus legibus ferendis.**

**Per orbem.**

**Aenigmata.**

## AN THEOLOGIA SIT VERA SCIENTIA

Modernistae omnes (1) uno agmine facto, characterem quemvis « scientificum » Theologiae catholicae dengant, imo, prouti Pius X (*Eneycl. Pascendi*) ait, « Theologiam scholasticam derident passim atque contemnunt ». Modernistarum mens, ab ipso Loisy (2) non absque duritia quadam, hisce verbis redditur: Medii aevi tempore nonnisi una et unica scientia exstitit, Theologia, quamvis verae scientiae characteribus non ornaretur. Cognitiones omnes aliae ad religionis scientiam referabantur; in qua quidem scientia, Aristotelis philosophia primatum obtinuit, atque loco experientiae necon criticae, solum ratiocinium adhibitum fuit. Theologia nomine *Reginae scientiarum* donata fuit, non secus ac Papa nomine *Regis Regum* praeditus erat. Temporum progressu experimentalis methodus praevaluit, atque methodus critica tantam evolutionem accepit, ut philosophiam ipsam, historiam, necon religionis historiam, uno verbo omnia, pervaserit. Non secus atque Ecclesia, Theologia progressui huic scientifico continuo sese operavit. Theologia « revelationis scientia » fuit, non vero scientia revelata, neque *scientia scientiarum* est; immo, iuxta Modernistarum sententiam, nec scientiae naturam sibi vindicandi ius illi est, cum ad scientiae ordinem obiectum eiusdem non pertineat, neque scientifica sit methodus, quam ipsa adhibet.

Determinato prius scientiae conceptu, *veram Theologiam verae scientiae* naturam sibi vindicare ostendemus.

\*\*\*

Pro nonnullis scriptoribus, scientiae conceptus in sola experientia et in sola critica consistit. Nulla datur

scientia, nisi methodus experimentalis et methodus critica adhibeantur. Alii scientiae conceptum, vel in solis factis concretis atque individualibus nondum ad statum generale reductis, vel in factis atque legibus reponunt. Scientia - ait Negri (1) - nonnisi *circa facta* est, secus *ideae* a priori, necon *Metaphysica* habentur, quae omnia umbrae sunt. Scire *subjective* sumptum - scribit Kuhn (2) - est veritatem cognoscere, sive cognitio haec fiat immediate per intuitionem intellectus, sive mediate per demonstrationem; *objective* vero est, quoddam veritatum systema, et absque systematis nulla vera scientia datur.

Ut ab omni simus errore tuti, in conceptu scientiae a S. Thoma tradito sistimus. Iuxta Angelicum, scientia *certitudinem* iudicii, *demonstrationem* ex qua iudicium provenit, *principia* nota ex quibus procedit, includit et definiri potest: « Cognitio certa et evidens a mente habita ope ratiocinii demonstrativi »; ille scientia pollet, qui de re aliqua, quoad omnia, ac cum certitudine, rationem reddere potest. Hinc scientiae conceptus excludit a) cognitiones spontaneas, quae superficiem non intima rerum respiciunt; b) cognitiones vulgares, quae superficiales sunt, neque factorum explicaciones tradunt; c) cognitiones incertas, cum scientia certitudinem postulet; d) cognitionem *per fidem*, quia fides est de non visis; scientia de rebus visis.

Iuxta Angelicum scientia includit *certitudinem* iudicii. « Quia ergo nomen scientiae importat quamdam certitudinem iudicii... si quidem certitudo iudicii fit per altissimam causam, habet speciale nomen, quod est sapientia; dicitur enim sapiens in unoquoque genere qui novit altissimam causam illius generis, per quam potest de omnibus iudicare; simpliciter autem sapiens dicitur qui novit altissimam causam simpliciter, scilicet Deum.

(1) Cf. WEISS *Die Religiöse Gefahr* IV, 29; V, 4; VI, 26; VII, 68. —

(2) *Autour d'un petit livre, Lettre à un jeune savant*, III.

(1) Giuliano l'Apostata. - Prefazione. — (2) Loc. c. (Cfr. *Vox Urbis* Mense Iulio MCMX, p. 98) §. 6.

Et ideo cognitio divinarum rerum vocatur sapientia; cognitio vero rerum humanarum vocatur scientia, quasi communi nomine importante certitudinem iudicii appropriato ad iudicium, quod fit per causas secundas» (2-2<sup>ae</sup>. q. 9, a. 2). Scientia includit *demonstrationem*. « Nam homo consequitur certum iudicium de veritate per discursum rationis; et ideo scientia humana ex ratione demonstrativa acquiritur... Scire est finis syllogismi demonstrativi, sive effectus eius: cum scire nihil aliud esse videatur, quam intelligere veritatem alicuius conclusionis per demonstrationem» (2-2<sup>ae</sup> p. q. 9. 1. ad 1; *In Arist. I Poster. Anal.* lect. 4). Scientia includit *principia*. « Quaedam (scientiae) sunt quae procedunt ex principiis notis lumine naturali intellectus, sicut arithmeticā, geometriā et huiusmodi; quaedam vero sunt quae procedunt ex principiis notificatis per geometriam, et musica ex principiis per arithmeticā notis» (1. p. 1. 2).

\*\*

Veram Theologiam verae scientiae naturam sibi vindicare, tribus ex capitibus apparent. Animadvertenda est prius illa expressio: *vera Theologia*; idest Theologia in qua amico foedere, methodus tum scholastica, tum positiva uniuntur. *Methodus scholastica*, quia hac remota, prouti optime Bellamy (1) animadvertisit, sola *methodus positiva* nonnisi *textuum* atque *factorum* repertorium quoddam esset, vel aridus quidam documentorum catalogus. *Methodus positiva*, quia scholastica sola insufficiens est, imo - fatente Melchiore Cano (2) - misera est scholae doctrina « quae detracta Scripturae sacrae auctoritate syllogismis contortis de rebus divinis philosophatur »; commentaria rursus in Theologiam edita, in quibus « sacerorum Bibliorum testimonia rarissima sunt, conciliorum mentio nulla, nihil ex antiquis sanctis oleant » iuxta eumdem Canum « vix digna lucubratione anicularum » sunt. Praeterea « *vera Theologia* » est quae *a) historicae scientiae acquisitionibus utitur*; *b) textus a scientia exegetica genuinos atque authenticos declaratos necnon P.P. testimonia a scientiae Patristicae cultoribus recognita adhibet*; *c) sanam criticam nullimode spernit ac deridet*. Animadverte etiam expressionem « *verae scientiae* »; non intelligitur nempe scientia, quae in solis affirmationibus superficie tenus prolatis consistit, vel cuius tota vis in deridendis spernendisque iis quae ab antiquitate nobis relicta fuere est, vel quae solis hypothesibus nititur; sed ea scientia quae de affirmatis vel negatis rationem reddit, quae nova et antiqua in veritatis bonum coniungit, quaeque argumenta vere probantia adducit. Probatur igitur:

I. — Quoties habentur *a) vera demonstratio*; *b) libertas investigationis*; *c) libertas examinantis*, vera quoque scientia habetur. In vera autem Theologia huiusmodi tria inveniuntur; ideoque vera Theologia scientia est.

Invenitur 1<sup>o</sup> *vera demonstratio*. Siquidem ex Fidei

articulis procedit Theologus ad ostendendum vel quod *verum est* id quod asseritur, vel *quomodo* id quod asseritur sit verum. Theologus, rursus, documenta et ratiocinium, methodum speculativam methodumque positivam simul adhibet, quae ad demonstrationem aptissima sunt. Theologia - ait ad rem S. Thomas (1) - « disputat cum negante sua principia, argumentando quidem, si adversarius aliquid concedat eorum quae per divinam revelationem habentur; sicut per auctoritates sacrae doctrinae disputamus contra haereticos, et per unum articulum contra negantes alium. Si vero adversarius nihil credit eorum quae divinitus revelantur, non remanet amplius via ad probandum per rationem articulos fidei, sed ad solvendum rationes, si quas inducit contra fidem ».

Invenitur 2<sup>o</sup> *libertas investigationis*. Dum enim theologus investigat, in potestate eius est methodum speculativam vel positivam adhibere; vel uti mediis a scientia historiae, aut exegeseos, aut sanae criticae traditis; discutere atque examini subiicere argumentane non documenta in favorem catholicarum veritatum militantia.

Invenitur 3<sup>o</sup> *libertas examinantis*. Nihil siquidem impedit quin theologus media ad veritates catholicas stabilendas sibi oblata libere examinet, meliora eligat, nonaque adinveniat diligentius inquirendo. Nihil eum impedit, quin documenta sibi oblata subtiliori studio subiicit, eorumdemque valorem per sanam criticam statuat. Quid igitur deest pro libertate examinantis in Theologia asserenda? Neque fas est opponere, Theologiam methodo auctoritatis uti, ideoque verae scientiae nomine privari. Nonne et ipsae scientiae historicae auctoritate testimoniorum utuntur? Nonne scientiae aliae uti physica, chimica, astronomia auctoritatem hominum in illis peritorum adhibent, eaque persaepe utuntur? Recte Angelicus (2): « Sicut aliae scientiae non argumentantur ad sua principia probanda, sed ex principiis argumentantur ad ostendendum alia in ipsis scientiis, ita haec doctrina non argumentatur ad sua principia probanda, quae sunt articuli fidei; sed ex eis procedit ad aliquid ostendendum; sicut Apostolus, *I ad Cor. xv*, ex resurrectione Christi argumentatur ad resurrectionem communem probandam... Argumentari ex auctoritate est maxime proprium huius doctrinae, eo quod principia huius doctrinae per revelationem habentur. Et sic oportet quod credatur auctoritati eorum quibus revelatione facta est. Nec hoc derogat dignitati huius doctrinae; nam licet *locus ab auctoritate*, quae fundatur super revelatione humana sit *infirmissimus*, *locus* tamen ab *auctoritate* quae fundatur super revelatione divina, est *efficacissimus* ».

II. — Scientiae conceptus ex tribus resultat: *a) ex certitudine*; *b) ex demonstratione*; *c) ex principiis quibusdam*. In Theologia autem, certitudo, demonstratio necnon principia quaedam habentur, ideoque Theologia vera scientia est. Habetur:

(1) *La Théologie catholique au XIX<sup>e</sup> siècle*, VIII, 1. — (2) *De Locis Theol.*, 1. 8. c. 1.

(1) *Th.* p. s, q. 1, a. 1. — (2) 1. p. 1, 8 *in corp.* et ad 3.

a) *Certitudo* « quia aliae scientiae certitudinem habent ex naturali lumine rationis humanae, quae potest errare; haec autem (Theologia) certitudinem habet ex lumine divinae scientiae, quae decipi non potest » (1).

b) *Demonstratio*, quia Theologia « ex articulis Fidei... ad alia argumentatur... disputat cum negante sua principia, argumentando quidem, si adversarius aliquid concedat eorum, quae per divinam revelationem habentur; sicut per auctoritates sacrae doctrinae disputamus contra haereticos, et per unum articulum contra negantes alium. Si vero adversarius nihil credit eorum quae divinitus revelantur, non remanet amplius via ad probandum per rationem articulos fidei, sed ad solvendum rationes, si quas contra fidem inducit » (2).

c) *Principia*, quia « haec doctrina non argumentatur ad sua principia probanda, quae sunt *articuli Fidei*; sed ex eis procedit ad aliquid ostendendum » (3).

III. — Tractatio quae 1<sup>o</sup>, catholicas veritates secundum Fidei regulas, videlicet iuxta Ecclesiae magisterium, sacram Scripturam, Traditionem, neconon S. S. Patrum mentem exponit; quae 2<sup>o</sup>, contrarios errores recenset, examini subiicit, iudiciumque circa eosdem pronuntiat; quae 3<sup>o</sup>, veritates omnes catholicas ad systemata quaedam supra redit, verae scientiae charactere praedita est. Modo Theologia ipsa est « Tractatio » quaedam, qua catholicae veritates iuxta Fidei regulas, secundum nempe magisterium Ecclesiae, sacram Scripturam, Traditionem, neconon S. S. Patrum mentem exponuntur; in qua rursus errores eisdem veritatis contrarii recensentur, examini subiiciuntur atque circa eosdem iudicium profertur; in qua denique catholicae veritates ad supraquaedam systemata reducuntur. Nonnisi igitur iniuria character vere scientificus Theologiae denegatur.

\*\*\*

Merito igitur S. Thomas (4) affirmat s. Theologiam esse scientiam aliis dignorem a) secundum *certitudinem*, quia « aliae scientiae certitudinem habent ex naturali lumine rationis humanae, quae potest errare; haec autem certitudinem habet ex lumine divinae scientiae, quae decipi non potest ». b) Secundum *dignitatem* materiae, « quia ista scientia est principaliter de his, quae sua altitudine rationem transcendunt. Aliae vero scientiae considerant ea tantum quae rationi subduntur ». c) Secundum *finis rationem*, quia « finis huius doctrinae, in quantum est practica, est beatitudo aeterna, ad quam sicut ad ultimum finem ordinantur omnes alii fines scientiarum practicarum ». Merito etiam Pius Papa X (Encycl. *Pascendi*) asseruit, Modernistas s. Theologiam contemnere atque deridere « ex ignorantia », quia nempe altitudinem eius ignorantia.

Friburgi Helvetiorum.

P. REGINALDUS FEI O. P.

(1) S. TH. 1. p. 1. 5. — (2) S. TH. 1. p. 1. 8. — (3) S. TH. ib. — (4) 1 p. q. 1, a. 5,

## PHILOSOPHICAE DISPUTATIONES

MODERNISTAM INTER ET THOMISTAM

### Quid sit iudicium liberum investigatur.

THOMISTA. — Quod tibi recentius promisi de iudicio libero fusius explanando, (1) id, amice dilectissime, tibi affero.

Dicenda vero maximi prorsus momenti sunt, unde haec attentioni tuae omnimodae commendabo.

MODERNISTA. — Attentis ergo auribus adsto, qui te audiam libentissime.

T. — Iudicium rationis « practicum » quandoque dicitur liberum, ut distinctum contra naturale iudicium. Qui tamen dicendi modus probe intelligendus et explanandus est, si innumeros errores devitare voluerimus.

Id imprimis notandum est, solam voluntatem esse potentiam formaliter et proprie liberam, ita passim factentibus omnibus; intellectum vero per se esse potentiam necessariam, utpote ab obiecto proprio dependentem.

Duplici tamen sensu dicitur iudicium liberum et quidem analogiae. Primo, quia a voluntate quoad actum seu exercitium pendet, cum voluntas actum suspendere et avertere libere possit: non tamen hoc sensu hic intelligitur iudicium liberum. Secundo autem iudicium dicitur liberum causaliter, quia nempe ut causa libertatis in voluntate, quod est rationis proprium, unde, iuxta effatum Aristotelicum, liberum arbitrium sit facultas rationis et voluntatis; rationis, inquam, causaliter; voluntatis formaliter. Quo sensu hinc inquiritur quale sit istud iudicium liberum, ex quo voluntas in liberum actum exit.

Id imprimis, ex perpetua Aquinatis doctrina et ex natura rei, statuendum in genere videtur illud intellectus iudicium practicum diei liberum, cuius homo est dominus, seu quod in potestate iudicantis remanet, et ad quod iudicans non naturali instinctu movetur, sed seipsum movet, attingens et sciens formaliter sui iudicii et actum et causam, atque intrinsece potens aliud iudicare, imo et oppositum decernere.

Quam descriptionem omnibus philosophis Christianis arridere velim, atque ex terminis ipsis patere.

M. — Patet utique, siquidem verba tua rem exhibent perspicuitate sua, quin involvunt.

T. — Ut igitur totam quaestionem quasi prae oculis simul ponam, en varia capita argumentationis postmodum, etsi brevius, evolvenda.

Et primo quidem ex parte intellectus requiritur ut ipse sit intrinsece indifferens ad opposita iudicia, sicut et voluntas ad oppositas electiones.

Ex parte obiecti requiritur secundo ut ipsum, quantum sit ex ratione boni, sit contingenter amabile.

Et tamen tertio non requiritur ut intellectus propon-

(1) Cfr. Vox Urbis h. a. num. viii, pag. 116.

nat voluntati obiectum ut indifferenter amabile prae alio opposito.

Imo quarto ut voluntas ad unum prae alio sese determinet, requiritur ut intellectus obiectum prae alio opposito determinate amabile proponat.

Singulas asserti partes resumamus explanantes et comprobantes.

Requiritur imprimis ad iudicium practicum idemque liberum ut supponatur intrinseca indifferentia in intellectu ad opposita iudicia de obiecti amabilitate, sieut et in voluntate intrinseca indifferentia ad amandum et non amandum obiectum.

Quod enuntiatum ex ipsis terminis patet, siquidem quaelibet potentia quae non pollet praedicta indifferentia, determinatur ad unum: ubi autem determinatur ad unum, incapax est libertatis ad plura.

Necessario igitur iudicium causaliter liberum debet proponere sub indifferentia obiectum ipsi voluntati indifferenti ad opposita, quantum sit de ratione boni contingenter de se amabile vel secus non amabile.

Ex parte obiecti requiritur ut obiectum, quantum sit de ratione boni absolute sit contingenter amabile et non amabile, ad libitum voluntatis. Id indubitatum apparet eo quod libere amari nequit illud quod non nisi necessario amatur, et saltem ex imperfectione amantis non potest non amari.

Id tertio asserebatur, non requiri in iudicio practico eodemque libero ut intellectus non proponat unum obiectum prae alio amabile. Etsi enim intellectus melius utiliusque voluntati proponat, nullatenus assensus cogitur, neque ubi voluntas unum et quidem melius eligit, sequitur iutellectum non perspicere aliud reapse, si libuerit, eligi posse.

Imo naturae consonum est, et quidem liberae, quod ex usu iudicii sui et libertatis eligat id quo ipsa excellentius ditatur et perficitur, et contra naturam simul erit quod bonum minus minusque utile sponte eligat. Iudicium practicum per se et ex natura, ubi prudens fuerit, semper est de meliori bono.

Ubi autem duo vel plura bona pariter amabilia fingantur proponi voluntati, intellectus semper in uno eorum aliquod singulare inveniet, ait Angelicus, quo unum uni praferatur; quod fiet sane ipsius hominis consilio.

Imo, ut quarto asserebamus, id fieri debet: nisi enim intellectus determinate indicaverit eligendum unum prae alio, nulla sequetur electio.

Ex dictis itaque collendum est iudicium unde oriatur voluntas libera, supponere indifferentiam et indifferentiam obiecti, ita ut excludatur necessitas violentiae et naturalis instinctus; non autem ut unum obiectum prae alio amabile, non appareat; imo, tollenda est indifferentia amabilitatis, ut appareat determinate unum magis amabile quam aliud, dum secus nulla erit electio et actio.

M. — Egregie dicta! Attamen a te id rursus discere

velim, utrum ex praedicta doctrina non tollatur ipsa libertas in iis qui libertatem negantes, fatalismo indulgentes, non possunt utramque indifferentiam sibi exhibere, scilicet voluntatis ad amandum, et amabilitatis in re amata.

T. — Statim repono, nullimode requiri ut explicite utramque indifferentiam quis sibi proponat, sed sufficere si implicite, ubi homo se violentiam non pati ex parte sui et ex parte obiecti conscient sit: unde Calvinus, etsi libertatem negaverit et requisita ad libertatem, attamen recte propter facinora puniendus fuisset: error enim, imprimis voluntarius non tollit naturam in homine sanae mentis et sicut fatalista, non obstantibus doctrinis suis, consilia quaerit et init de inchoandis et prosequendis, non obstantibus iisdem, puniendus erit, ubi facinorosus evadat. Ad libertatem quippe non requiritur cognitio inconsiderata vel falsa.

M. — Ex quibus dictis mihi videtur iudicium practicum quo voluntas ad actum percellitur, vario multiplice titulo dici liberum.

T. — Recete dicas, carissime, atque hanc multiplicatatem enucleare mihi in promptu est. Imprimis enim liberum est tripliciter libertate voluntatis; quum primo voluntas libere intellectum ad actum moveat; secundo, moveat quoad specificationem proponendo obiectum, proponendo adhaesionis media et rationes ex bona sui dispositione; tertio, moveat ad assensum in rebus fidei et opinionis, extra rei evidentiam.

Sed pree primis iudicium practicum est liberum libertate intellectiva, quae non est nisi indifferentia rationis ad opposita iudicia. Quum enim intellectus, apprehenso obiecto, non est a natura determinatus ut determinate iudicet istud esse amabile vel secus; atque imprimis respiciat bonum ut bonum universaliter, et habitudinem eius ad bona particularia, in quibus iunguntur bonum et malum, unde intellectus in ipsis considerare potest vel amabilitatem boni, vel non amabilitatem mali; haud secus in iudicio practico intellectus non est determinatus ut hoc alio vel alio modo iudicet, ductus solum indeole et natura obiecti.

Et praeterea rationem finis, eiusque ad media proportionem attingit, atque in illo fine, seu bono universali invenit rationem amandi singula bona particularia, ex istorum cum illo necessitudine, ex circumstantiarum adiunctis, et sic deinceps.

Hinc iudicium practicum libertatis intellectivae proprietates participat.

Est enim liberum, seu in potestate nostra positum; est supra se reflexivum et sui iudex; et denique attingit propter quid scit, sciens et quod amat et propter quid amat.

Iudicium igitur et libertate voluntatis, et libertate intellectiva simul liberum est, proindeque et libera electio iudicium secuta.

M. — Multa, et quidem egregia, protulisti de iudicio practico circa bona particularia.

Me igitur non habeas importunissimum, ubi non nihil a te exquiram de bono in communi, deque iudicii practici ad ipsum habitu.

T. — Imo de quaesito tuo dicenda dicam, et quidem summa alacritate, dum iam dictis quasi complementum addenda erunt.

Omnis passim confitentur amorem boni in universali libertate obiectiva, seu improprie dicta, liberum esse, eo nempe sensu quod huius amoris exercitium homo potest vel inire vel impedire, sicut cuiuscumque facultatis etiam naturalis impedire potest et applicare, v. gr. pedem ne ambulet, oculum ne videat, vel secus.

At vero in bonum universim dictum et quidem praesens, amor liber non est, sed ex natura in ipsum fertur voluntas. Inde ut quod non indiget discursu aliquo aut consilio, ut in ipsum feratur, sed instinctu proprio exit.

Id rursus quod omne consilium praecedit non potest procedere ab consilio, neque proinde a iudicio libero: atqui amor finis seu boni in communi praecedit omne consilium, ergo non a consilio, sed a natura est.

Cuius asserti ratio haec est, quod voluntas non solum potentia, sed et natura est, unde voluntati ut potentiae respondet bonum ex natura.

Inde autem primum est colligere voluntatem ut potentiam agere ex iudicio et libere, ut naturam vero, necessario et immobiliter.

Iterum collige voluntatem non seipsum movere circa amorem boni in communi, seu finis, siquidem istud est per se amabile; sese autem movere simul et a Deo moveri per amorem naturalem boni in amorem boni particularis, seu medii ad bonum in communi.

Id demum exinde collige, voluntatem ut naturam esse fundamentum immobile eorum, quae voluntas eligit et agit ut potentia.

M. — Vix tamen intelligere quis poterit qua ratione actus esse possit simul et naturalis et liber, quod ex praemissis sequi videtur: siquidem idem actus est naturalis, ut amor boni in communi, seu beatitudinis, et liber simul dicendus erit, prout est hic vel ille actus, seu amor huius illiusve boni particularis.

T. — Res ipsa tamen sic se habet, ita ut in nobis nullus detur actus qui sub diverso sane respectu, et necessarius sit et liber. Cuius asserti ratio haec est, quod nullus detur beatitudinis in communi amor, qui non sit in individuo, proindeque simul et liber, sicut nullus occurrit amor boni in individuo, qui non sit ab amore boni in communi. Et hoc hisce terminis alicubi reddidit Aquinas: « Quamvis nullus possit vitare qui beatitudinem aliquo modo appetat, potest tamen vitare quod non appetat eam hoc modo quo est appetenda, et sic potest mereri vel demereris » (1).

Exinde etiam deduces, voluntatem semper agere ubi praesens per cogitationem obiectum aderit; non tamen ex necessitate, quia de obiecto non cogitare velle po-

test. Ratio est quia voluntas ex natura ad bonum in communi tendit, et ad quaecumque particularia bona, ubi non nihil de bono in communi apparet, affective saltem, etsi non effective, id est cum effectu electionis secuto.

I. I. B.

## DE CONDICIONIBUS

### QUIBUS CONTINETUR LINGuae LATINAe PERCEPTIO

(Concluditur)

In qualibet institutione studiorum latinorum tria habentur: praceptor, discipuli, et ratio docendi. Ex his tribus rebus solam rationem docendi emendatione indigere puto. Quippe dissentio vehementer ab iis hominibus, qui praeceptrors latinos inscitiae inertiae arguere volunt: cuius furoris signifer apud nos fuit nescio quis Hungarus, ephemeridis cuiusdam Philadelphiae dudum extinctae olim administrator. Iste quum taetrum monstrum loquelae pro latino sermone in vulgus commendaret et perpaucos nanciseretur quibus consilia sua probaret, in universum gregem magistrorum Americanorum invehiri solebat, tamquam omni prorsus doctrina careremus latina, atque data opera nollemus meliora instituere, scilicet ne ignorantiam nostram tironibus proderemus. Sed huiusmodi crimina conviciaque a plerisque nostrum longissime abesse debent. Emendatio institutionis latinae neque doctrinae augmentum requirit, nec studii; verum novam melioremque rei latinae administrandae rationem, qua docentis notitia cum discentium animis facilius commodiusque se coniungat. Tanta est enim earum copia rerum, quae in bona institutione linguae latinae opus sunt, ut non modo invitatos, sed ne cupidos quidem magister sine ipsorum cooperatione scientia sufficienti instruere possit. Imperare pensa, audire redditia, obscuriora explanare, curare iterando ne quid de memoria excidat, haec omnia ut necessaria esse confitebitur meus praceptor, ita pro exigua solum parte officii sui habebit: multo maiorem opem a se exspectari volet.

\* \* \*

Secundum igitur docendi praecceptum ponō a primo facile proficisciens, ut nempe ad discipulorum pensa meditationes domesticas accedat in ipsis scholis cotidianis *praceptoris expedientis atque ampliantis industria*. Etenim plurimas partes linguae latinae easque pernecessarias assignare tironibus pro penso domi faciendo omittet magister, sed ad suos in scholis labores pertinere existimabit. Domi quidem apud se suum quisque tiro opus memoriae ac meditationis commodissime peraget; illic flexus, illic vocabula a vulgaris sermonis forma remotiora, illic praecpta et exempla structurae syntacticae ediscenda sunt: in scholis autem addiscant

(1) *Sent.* iv, d. 49. q. 1. a. 3. 2<sup>m</sup>.

pueri, duce magistro, quaecumque praeterea vel auditu vel aspectu percipi possunt. Ut exemplum ponam, in plerisque linguis recentioribus tam Teutonicis quam Romanicis ingens est numerus verborum de latinis ascitorum, quae, sive formam respicias, sive sensum, aut nihil aut certe non multum ab antiquitate differunt. Haec magister proferet et iterata usurpatione inculcabit, donec omnia omnibus pernoscantur. Item haud dissimili ratione eas voces formulasque quibus grammatica exponi solet sibi reservabit, ut, « post verba sentiendi et declarandi primaria enuntiatio sive adfirmantis sive negantis per accusativum cum infinitivo exprimitur »; vel, « casus Subiecti verbi (s. Nominativus) et casus Obiecti verbi (s. Accusativus) diversa forma sunt, exceptis neutrīs ». Huiusmodi carmina si ipsa per se non adeo clara sunt, ut primo adspectu intellectum reddant, tamen repetitione satis frequenti innotescant et, semel cognita, copiam verborum pueris exaugebunt.

\*\*\*

Terrio praecipio ut pro singulis vocabulis *locutiones breviores* tradantur, quales sunt, *unicus filius*, *Deus omnipotens*, *aequus dominus* (tribus significationibus). Cui praecepto si accesserit quartum ut *de etymologia* aliquid cottidie adiciatur, tum ex illa ampliatione quam supra commendavi uberrimos fructos sperare licebit. Ne extra locutiones modo datas progrediamur, hinc erunt tironibus, monstrante magistro, *filia*, *dea*, *domina*, *deitas* (in ecclesiastica latinitate), *omnipotentia* (ibidem), *praepotens* (quod melius dicitur), *aequitas*, *iniquitas*, *iniquus*, *dominicu*s, *dominica*, *dominium*, *dominatio*. *Dominandi* quidem verbum magistro occurret, sed ad deponentia verba reservabitur; neque enim omnia uno tempore agenda sunt.

\*\*\*

Tum - quod duo praecepta complectitur - suadeo ut *ad lectionem scripti alicuius facilioris* quam primum adducantur tirones, et seorsum ab hac re, ut *in regulis grammaticis per ordinem condiscendis* contineantur. Lectiones autem velut oblectandi gratia concedi videantur et excipient semper rei grammaticae institutionem ad alia scripta difficiliora tendentem. Ne quid legatur quod difficultates grammaticas exhibeat: alioquin et gravabitur animus ibi, ubi potius delectandus erat, et a legum grammaticarum debita expositione (quae rationem ordinemque postulat) misere arcebitur. Sed de hac re satis.

\*\*\*

Venio nunc ad latine conscribendi exercitia, quae pars disciplinae latinae quam otiosa et molesta discentibus esse soleat non ignoramus; est tamen diligenter adhibenda, si verum usum sermonis latini nostris comparare studemus. Atque quidem usurpantur apud nos libri quidam utilissimi ad classicos auctores quasi co-

mitandos conscripti, quorum generalis ratio est, ut ex certis locis iam ante perfectis cognitisque angliceae proponantur oratiunculae exquisitissimis verbis conceptae at structura syntactica ab eo loco qui ob oculos sit longe alia. Voces igitur pueri ab ipso auctore latino petunt, orationem vero suam ad quamcumque tum temporis grammatices legem edocentur, conformant.

Sed tamen huiusmodi exercitationes plus laboris et molestiae pueris quam ampliae et solidae scientiae adferunt. Quapropter alia ratio quaerenda est quae et minus molesta sit et (si fieri possit) alliciat pueros ad plura ultro suscipienda. Nulla autem efficacior erit, quam si modico nec ingrato labore magnas laudes tirones a magistro sese referre intellexerint. Quare pro septimo praecepto suadeo ut *liberior exercitatio latine conscribendi* instituatur. Ex. gr., iubeantur pueri vocabula et locutiones vel iam datas, vel e derivationibus facile divinandas, adhibitis quas norint legibus linguae latinae, in quam plurimas sententias vertere hasque coram condiscipulis, iudicante praeceptore, reddere. Ut locutiones supra memoratas repetam, ad hunc fortasse modum orationem latinam component: « Dominus noster, Iesus Christus, Filius Dei omnipotentis unicus, aequos et iniquos in (iudicium) vocaturus (cf. vocaturis) est. Hic nobis benevolentiam Divinam (anglice *divine benevolence*) per sacramenta declaravit ». Sin autem excluditur theologica disputatio, aliae res tractari possunt, etsi haud scio an ullum aliud argumentum aequum clarum incipientibus inveniatur.

Postremo auctor sum ut tum singulae voces tum dictiones longiores quam accuratissimas accipiant *patrī sermonis interpretationes*. Scilicet, proposita aliqua vocula vel oratiuncula, tentent pueri cognoscere in quo et quales anglice loquendi figurās ipsa abire possit. V. g., nomini *magnus* quidam nuperrime plus quam triginta invenit interpretamenta anglica.

\*\*\*

Sed haec hactenus; iam tempus est toti nostrae disputationi modum imponere. Neque tamen universa subtiliter persequi institui. Etenim dum brevitati consulo et exiguitati spatii indulgentia Editoris abuti atque in grande opus disputationes extendere plane nolui. Equidem in votis est fore ut liber quem in manibus habeo tandem aliquando in lucem prodeat, fratrum et sociorum censuram ingenue invitaturus. Interim firmiter credo adeo carere invidia commilitones huiusce militiae, adeo amantes esse Rei Publicae Latinae ut quisquis de studiis optimis bene meritus fuerit, is sese pro communi omnium defensore ac benefactore haberi confidere possit.

Chicagine, mense Septembri MCMX.

THEODORUS T. CHAVE.

*Multa experiendo fūnt, quae segnibus ardua videntur.*

TACIT., Ann., XV, 59.

## TRITICUM ET UVA

(IMITATIO CARMINIS VICTORIS DELAPORTE, S. I.)<sup>(1)</sup>

*Fervebat aestas: triticum  
cives metebant Nazarae,  
et inferebant horreis  
sudore partas mergiles.*

*Heu! nulla Iosepho seges  
flavet metenda, virgini  
nec ulla Sponsae: Coniugum  
tectis Egestas insidet.*

*"I, Nata, „ Mater admonet  
Iesum trilustrem; " collige  
quos forte messorum manu  
fugisse culmos videris „.*

*Mandata divus perficit  
Ephebus, arva qui cito  
detonsa lustrans, perditas  
solers aristas quaeritat.*

*Quaerit relictas, ut bonus  
nos ille Pastor devios  
sectatur agnos, inferum  
ne praeda simus hostium.*

*Amplum, suborto vespero,  
Iesus manipulum legerat;  
quem, fune vinctum iunceo,  
paterna fert ad limina.*

*Parat Maria coenulam  
ornatque lino candido  
mensam; vocatus stridulam  
Sponsus dolabram deserit.*

*Coenant; et actis gratiis,  
Spicas Puellus deligit  
septem, nitore flammeo  
doctas vel aurum vincere.*

*Circum fenestram repserat  
fecunda vitis; pendulam  
hinc carpit uvam, quam iubet  
repente maturescere.*

*Spicas et uvam mensulae  
imponit, inque nobilem  
hanc vertit aram; grandia  
tum pandit haec mysteria:*

*" Suam sub hisce symbolis  
Deus recondet gloriam,  
dabitque se mortalibus  
Escam, dabitque Poculum.*

*Dignatus hoc Convivio  
ultra sitire nesciet  
vel esurire, Caelitum  
ut quem dapes refecerint „.*

*Ad haec, beati Coniuges  
arsere sacris ignibus,  
Deumque laudant, splendide  
in nos suimet prodigum.*

FRANC. X. REUSS.

## EX ITALIS URBIBUS

**De Paulo Albera sacerdote,  
Rectore Salesianorum Maximo  
nuper electo**

Decimo septimo kalendas Sept. hoc anno labente, magnus Salesianorum conventus habitus est Augustae Taurinorum, in illa urbis parte, quae ad orientem spectat et *Vallis Salicis* vulgo appellatur. Illic enim iamdiu, magna piorum Taurinensium approbatione, conditae sunt exuviae Ioannis Bosco, Salesianorum legiferi, et nuperrime Michaëlis Rua, qui eius vestigiis mordicus insistens, adeo Parentis virtutes in se animumque retulit, ut merito alter Pater dici soleret.

Agebatur enim de re maximi momenti; quisnam ita ex omnibus excelleret, ut dignus reputaretur, qui in eius locum eligeretur. Maxima equidem animorum tranquillitate omniisque longe prorsus repulsa honoris atque cupiditatis ambitione, id unum cuncti studebant, ut omnium dignissimum deligerent.

Nec lis diu agitata est, et sors divinitus cecidit in Paulum Albera, domo None, in agro Taurinensi. Hic pollens ingenio atque studiis multis ac magnis animi mentisque meritis laudatur. Namque sexaginta et amplius annos natus, inter eos adnumeratur, quos ipse Ioannes Bosco, primo Sodalitatis suae initio, ad virtutem coluit atque ad virtutem peramanter informavit. In eius spem crevit adolescentis tum ingenii mansuetudine cultuque, tum pietate, quae eum maxime decet, qui ad religionem tendat atque ad sacerdotium.

Itaque, post optima in studiis indicia, sacerdotio iniciatus, nihil antiquius habuit quam eumdem sibi tramitem vitae sumeret a Parente ipsi signatum, eumque toto pectore sequeretur atque diligeret. Verum, quot aerumnas sustulit, quot vel amicorum iniurias est fortiter passus! Eodem tempore studiorum suorum specimen praeter ordinem dedit, atque Superioris voluntatem unice secutus, ut rite

(1) Insignis hic poeta, Gallicarum decus litterarum, nuper vivis eruptus est.

publice pueros doceret, qui scholas gymnasii frequentant, regio diplomate in magno Taurinensium Studio praeditus est. Sed ad maiora vocatus, postquam iuvenis admodum prima in docendo stipendia meruit, ad sanctum Petrum Arenarium in Liguria Collegium pueris alendis docendisque aperuit, ibique cum magna omnium piorum laetitia, Rector quoque templi S. Caietano sacri adstitit. Quum vero omnes in eius virtutum contemplatione laetarentur et maiora sibi bona eius ductu consilioque in dies auspicantes magnas Deo gratias agerent, in Galliam missus, novas aedes Massiliae primum condidit, in quibus pueri pauperiores in artes incumberent, iis omnibus adiunctis, quae ex temporum ratione imprimis exigerentur. Mirum quot utilitatum flumina in puerorum salutem aperuit! Massiliensem domum superavit domus altera, quam postea suorum omniumque plausu Lutetiis Parisiorum instituit. Quo facto in Gallia sacerdos hic cum ipso Patre facile componitur, idemque gallice *Le petit d. Bosco* passim advocabatur.

Nuperrime vero post Parentis funus ad domum Taurinensem, omnium Salesianorum caput, advocatus, rebus sacris praefuit apud sodales suos, sub praescripto Michaëlis Rua, qui mox omnibus flebilis decessit. Hoc vero munus ea prudentia, doctrina, dulcedine gessit, ut ad supremum Salesianorum regimen omnibus fere suffragiis electus sit.

Quod felix, faustum, fortunatumque, Deo adiuvente, adveniat!

Nos qui iamdiu, imo vel a teneris, egregiam viri indolem novimus, eumque sumus in omni vitae curiculo, ob suavem mentis animique fortitudinem, admiratione persecuti, suorum omnium vota eum esse perfectum speramus, quin imo supergresurum.

Tot virtutibus ingenii praeditus est eaque prudentia!

Unum deest, sanitas. Utinam vero corporis valutudo par sit in eo mentis sanitati et gravissima quaeque ei muneris pondera addita sufferre possit! Tunc magnum erit universae Salesianorum familiae incrementum, religioni ipsi ornamentum et decus, multis denique gentibus beneficium.

Augustae Taurinorum. SUBALPINUS.

*Non possidentem multa vocaveris  
Recte beatum: rectius occupat  
Nomen beati, qui deorum  
Muneribus sapienter uti*

*Duramque callet pauperiem pati,  
Eiusque leto flagitium timet.  
Non ille pro caris amicis  
Aut patria timidus perire.*

HOR., Od. IV, 9.

## ACTA PONTIFICIA

### MOTU PROPRIO

**quo quaedam statuuntur leges ad modernismi  
periculum propulsandum.**

Sacerorum antistitum neminem latere arbitramur, vaferum hominum genus, modernistas, persona quam induerant illis detracta per encyclicas *Litteras Pascendi dominici gregis* (1), consilia pacis in Ecclesia turbandae non abiecisse. Haud enim intermiserunt novos aueupari et in clandestinum foedus asciere socios cum iisque in christiana reipublicae venas opinionum suarum virus inserere, editis libris commentariisque suppresso aut mentito scriptorum nomine. Haec audaciae maturitas, per quam tantus Nobis inustus est dolor, si perfectis iterum memoratis *Litteris nostris*, consideretur attentius, facile apparebit, eius moris homines haud alias esse quam quos ibi descripsimus, adversarios eo magis timendos, quo propiores; ministerio suo abutentes ut venenatam hamis escam imponant ad intercipiendos incautos, doctrinae speciem circumferentes, in qua errorum omnium summa continetur.

Hac lue diffcente per agri Domini partem, unde laetiores essent exspectandi fructus, quum omnium Antistitum est in catholicae fidei defensione laborare, summâque diligentia cavere, ne integritas divini depositi quidquam detrimenti capiat, tum ad Nos maxime pertinet Christi Servatoris imperata facere, qui Petro, cuius principatum, licet indigni, obtinemus, dixit: *Confirma fratres tuos*. Hac nempe de causa, hoc est, ut in praesenti dimicazione subeunda confirmetur bonorum animi, opportunum duximus memorati Nostrí documenti sententias et praescripta referre hisce verbis expressa :

« Vos oramus et obsecramus, ne in re tam gravi vigilantiam, diligentiam, fortitudinem vestram desiderari vel minimum patiamini. Quod vero a vobis petimus et expectamus, id ipsum et petimus aequae et expectamus a certis animarum pastoribus, ab educatoribus et magistris sacrae iuuentutis, imprimis autem a summis religiosarum familiarum magistris.

« I. Ad studia quod attinet, volumus probeque mandamus ut philosophia scholastica studiorum sacrorum fundatum ponatur. — Utique, si quid a doctoribus scholasticis vel nimia subtilitate quaesitum, vel parum considerate traditum; si quid cum exploratis posterioris aevi doctrinis minus cohaerens, vel denique quoquo modo non probabile; id nullo pacto in animo est aetati nostrae ad imitandum proponi (2). Quod rei caput est, philosophiam scholasticam quum sequendam praescribimus, eam praecepimus intelligimus quae a sancto Thoma Aquinate est tradita: de qua quidquid a Decessore Nostro sancitum est, id omne vigere volumus, et qua sit opus instauramus et confirmamus, stricteque ab universis servari iubemus. Episcoporum erit, sicubi in Seminariis neglecta haec fuerint, ea ut in posterum custodiantur urgere atque exigere. Eadem religiosorum Ordinum moderatoribus praecipimus. Magistros autem monemus ut rite hoc teneant, Aquinatem vel parum deserere, praesertim in re metaphysica, non sine magno detimento esse. *Parvus error in principio*, sic verbis ipsius Aquinatis licet uti, est magnus in fine (3).

« Hoc ita posito philosophiae fundamento, theologicum aedificium extruatur diligentissime. — Theologiae studium, Venerabiles Fratres, quanta potestis ope provehite,

(1) Dat. d. viii Septembr. MCMVII. — (2) LEO XIII, Encycl. « Aeterni Patris ». — (3) *De Ente et Essentia*, proœm.

« ut clericis et Seminariis egredientes praecella illius existimatio magnoque amore imbuantur, illudque semper pro deliciis habeat. Nam *in magna et multiplici disciplinarum copia quae menti veritatis cupiditate obicitur, neminem latet sacram Theologiam ita principem sibi locum vindicare, ut vetus sapientum effatum sit, ceteris scientiis et artibus officiis incumbere, ut ei inserviant ac velut ancillarum more famulentur* (1). — Addimus heic, eos etiam Nobis laude dignos videri, qui, incolumi reverentia erga Traditionem et Patres et ecclesiasticum magisterium, sapienti iudicio catholicisque usi normis (quod non aequo omnibus accedit) theologiam positivam, mutuato ab historia lumine, collustrare studeat. Maior profecto quam antehac positivae theologiae ratio est habenda: id tamen sic fiat, ut nihil scholastica detrimenti capiat, iisque reprehendantur utpote qui modernistarum rem gerunt, quicumque positivam sic extollunt ut scholasticam theologiam despiciere videantur.

« De profanis vero disciplinis satis sit revocare quae Decessor Noster sapientissime dixit: *In rerum etiam naturalium consideratione strenue adlaboratis: quo in genere nostrorum temporum ingeniose inventa et utiliter ausa, sicut iure admirantur aequales, sic posteri perpetua commendatione et laude celebrabunt* (2). Id tamen nullo sacrorum studiorum damno; quod idem Decessor Noster gravissimi hisce verbis monuit: *Quorum causam errorum, si quis diligentius investigaverit, in eo potissimum sitam esse intelliget, quod nostris hisce temporibus, quanto rerum naturalium studia vehementius fervent, tanto magis severiores altioresque disciplinae defloruerint: quaedam enim fere in oblivious hominum conticescunt; quaedam remisse leviterque tractantur, et quod indignius est, splendore pristinae dignitatis deleto, pravitate sententiarum et immunitibus opinionum portentis inficiuntur* (3). Ad hanc igitur legem naturalium disciplinarum studia in sacris Seminariis temperari volumus.

« II. His omnibus praeceptionibus tum Nostris tum Decessoris Nostri oculos adiici oportet, quum de Seminariis vel Universitatibus catholicarum moderatoribus et magistris eligendis agendum erit. Quicumque modo quam modernismo imbuti fuerint, ii, nullo habito rei cuiusvis respectu, tum a regundi tum a docendi munere arceantur; eo si iam funguntur, removeantur: item qui modernismo clam aperte favent, aut modernistas laudando eorumque culpam excusando, aut Scholasticam et Patres et Magisterium ecclesiasticum carpendo, aut ecclesiasticae potestati, in quocumque ea demum sit, obedientiam, detrectando: item qui in historica re, vel archaeologica, vel biblica nova student: item qui sacras negligunt disciplinas, aut profanas anteponere videntur. — Hoc in negotio, Venerabiles Fratres, praesertim in magistrorum delectu, nimia nunquam erit animadversio et constantia; ad doctorum enim exemplum plerumque componuntur discipuli. Quare, officii conscientia freti, prudenter hac in re et fortiter agitote.

« Pari vigilantia et severitate ii sunt cognoscendi ac diligendi, qui sacris initiari postulent. Procul, procul esto a sacro ordine novitatum amor: superbos et contumaces animos odit Deus! — Theologiae laurea nullus in posterum donetur, qui statum curriculum in scholastica philosophia antea non elaboraverit. Quod si donetur, inaniter donatus esto. — Quae de celebrandis Universitatibus Sacrum Consilium Episcoporum et Religiosorum negotiis praepositum clericis Italiae tum saecularibus tum regula-

« ribus praecepit anno MDCCXCVI; ea ad nationes omnes posthac pertinere decernimus. — Clerici et sacerdotes qui catholicae cuipiam Universitati vel Instituto item catholicis nomen dederint, disciplinas, de quibus magisteria in his fuerint, in civili Universitate ne ediscant. Sicubi id permissum, in posterum ut ne fiat edicimus. — Episcopi, qui huiusmodi Universitatibus vel Institutis moderandis praesunt, curent diligentissime ut quae hactenus imperavit, ea constanter serventur.

« III. Episcoporum pariter officium est modernistarum scripta quaeve modernismum olen provehuncque, si in lucem edita, ne legantur cavere; si nondum edita, ne edantur prohibere. — Item libri omnes, ephemerides, commentaria quaevis huius generis neve adolescentibus in Seminariis neve auditoribus in Universitatibus permittantur: non enim minus haec nocitura, quam quae contra mores conscripta; immo etiam magis, quod christiana vitae initia vitiant. — Nec securus iudicandum est de quorumdam catholicorum scriptioribus, hominum ceteroqui non malae mentis, sed qui theologicae disciplinae expertes ac recentiori philosophia imbuti, hanc cum fide compone nituntur et ad fidei, ut inquit, utilitates transferre. Hae, quia nullo metu versantur ob auctorum nomen bonumque existimationem, plus periculi afferunt ut sensim ad modernismum quis vergat.

« Generatim vero, Venerabiles Fratres, ut in re tam gravi praecipiamus, quicumque in vestra uniuscuiusque dioecesi prostant libri ad legendum perniciosi, si ut exultent fortiter contendite, solemnni etiam interdictione usi. Etsi enim Apostolica Sedes ad huiusmodi scripta e medio tollenda omnem operam impendat; adeo tamen iam nemo crevere, ut vix notandis omnibus pares sint vires. Ex quo fit, ut senior quandoque paretur medicina, quam per longiores moras malum invaluit. Volumus igitur ut sacrorum Antistites, omni metu abiecto, prudentia carnis deposita, malorum clamoribus posthabitis, suaviter quidem sed constanter suas quiske partes suscipient; memores quae Leo XIII in Constitutione apostolica *Officiorum ac munerum* (1) prescribebat: *Ordinarii, etiam tamquam Delegati Sedis Apostolicae, libros aliaque scripta noxia in sua dioecesi edita vel diffusa proscribere et e manibus fiduum auferre studeant*. Ius quidem his verbis tribuitur sed etiam officium mandatur. Nec quispiam hoc munus officii implevisse autem, si unum alterumve librum ad Nos detulerit, dum alii bene multi dividi passim ac pervulgari sinuntur. — Nihil autem vos teneat, Venerabiles Fratres, quod forte libri alicuius auctor ea sit alibi cultate donatus, quam vulgo *Imprimatur* appellant: tum quia simulata esse possit, tum quia vel negligentius data vel benignitate nimia nimiae fiducia de auctore concepta, quod forte postremum in Religiosorum ordinibus aliquando evenit. Accedit quod, sicut non idem omnibus convenit cibus, ita libri qui altero in loco sint innocentes, nocentes in altero ob rerum complexus esse queant. Si igitur Episcopus, audita prudentum sententia, horum etiam librorum aliquem in sua dioecesi notandum censuerit, postulat ultro facimus immo et officium mandamus. Res utique decenter fiat, prohibitionem, si sufficiat, ad clerum unum coegerendo; integro tamen bibliopolarum catholicorum officio libros ab Episcopo notatos minime venales habendi. — Et quoniam de his sermo incidit, vigilent Episcopi ne, lueri cupiditate, malam librarii mercentur mercem: certe in aliquorum indicibus modernistarum libri abunde nec parva cum laude proponuntur. Hos, si obedientiam detrectent, Episcopi, monitione praemissa, bibliopolarum catholicorum titulo privare ne dubitet; item

(1) LEO XIII, Litt. ap. x Dec. MDCCCLXXXIX. — (2) Alloc., « *Pergratus Nobis* » ad scientiar. cultores, VII Martii MDCCCLXXX. — (3) Alloc., ut supra.

« potioreque iure si episcopales audiant: qui vero pontificio titulo ornantur, eos ad Sedem Apostolicam deferant. — Universis demum in memoriam revocamus, quae memorata apostolica Constitutio *Officiorum* habet, articulo *xxvi*: *Omnes, qui facultatem apostolicam consecuti sunt legendi et retinendi libros prohibitos, nequeunt ideo legere et retinere libros quoslibet aut ephemerides ab Ordinariis locorum proscriptas, nisi eis in apostolico induito expressa facta fuerit potestas legendi ac retinendi libros a quibus cumque damnatos.*

« IV. Nec tamen pravorum librorum satis est lectionem impediare ac venditionem; editionem etiam prohiberi oportet. Ideo edendi facultatem Episcopi severitate summa impertiant. — Quoniam vero magno numero ea sunt ex Constitutione *Officiorum*, quae Ordinarii permissionem ut edantur postulent, nec ipse per se Episcopus praecognoscere universa potest; in quibusdam dioecesibus ad cognitionem faciendam censores ex officio sufficienti numero destinantur. Huiusmodi censorum institutum laudamus quam maxime: illudque ut ad omnes dioeceses propagetur non hortamur modo sed omnino praescribimus. In universis igitur curiis episcopalibus censores ex officio ad sint, qui edenda cognoscant: hi autem e gemino clero elegantur, aetate, eruditione, prudentia commendati, qui que in doctrinis probandis improbandisque medio tutoque itinere eant. Ad illos scriptorum cognitio deferatur, quae ex articulis *xli* et *xlii* memoratae Constitutionis praevio subsunt examini. Censor sententiam scripto dabit. Ea si faverit, Episcopus potestatem edendi faciet per verbum *Imprimatur*, cui tamen proponetur formula *Nihil obstat*, adscripto censoris nomine. — In Curia romana, non secus ac in ceteris omnibus, censores ex officio instituantur. Eos, auditio prius Cardinali in Urbe Pontificis Vicario, tum vero annuente ac probante ipso Pontifice Maximo, Magister sacri Palatii apostolici designabit. Huius erit ad scripta singula cognoscenda censem destinare. Editionis facultas ab eodem Magistro dabitur neonon a Cardinali Vicario Pontificis vel Antistite eius vices gerente, praemissa, prout supra diximus, approbationis formula adiecitque nomine censoris. — Extraordinariis tantum in adiunctis ac per quam raro, prudenti Episcopi arbitrio, censoris mentio intermitti poterit. — Auctoribus censoris nomen patebit nunquam, antequam hic faventem sententiam ediderit; ne quid molestiae censori exhibeat vel dum scripta cognoscit, vel si editionem non probarit. — Censores e religiosorum familiis nunquam elegantur, nisi prius moderatoris provinciae secreto sententia audiatur: is autem de eligendi moribus, scientia et doctrinae integritate pro offici conscientia testabitur. — Religiosorum moderatores de gravissimo officio monemus nunquam siendi aliquid a suis subditis typis edi, nisi prius ipsum et Ordinarii facultas intercesserit. — Postremum editimus et declaramus, censoris titulum, quo quis ornatur, nihil valere prorsus nec unquam posse afferri ad privatas eiusdem opiniones firmandas.

« His universe dictis, nominatim servari diligentius praeceipimus, quae articulo *xlii* Constitutionis *Officiorum* in haec verba edicuntur: *Viri e clero saeculari prohibentur quominus, absque praevia Ordinariorum venia, diaria vel folia periodica moderanda suscipiant.* Qua si qui venia perniciose utantur, eâ, moniti primum, priventur. — Ad sacerdotes quod attinet, qui correspondentium vel collaboratorum nomine vulgo veniunt, quoniam frequentius evenit eos in ephemeridibus vel commentariis scripta edere modernismi labe infecta; videant Episcopi ne quid hi, contra quam siverint, moliantur, datamque potestatem, si oportet, retractent. Id ipsum ut religiosorum moderatores

« praestent gravissime admonemus: qui si negligentius agant, Ordinarii auctoritate Pontifice Maximi provideant. — Ephemerides et commentaria, quae a catholicis scribuntur, quoad fieri possit, censorem designatum habeant. Huius officium erit folia singula vel libellos, postquam sint edita, integre attenteque perlegere: si quid dictum periculose fuerit, id in sequenti folio vel libello corrigendum iniungat. Eadem porro Episcopis facultas esto, etsi censor forte faverit.

« V. Congressus publicosque coetus iam supra memoria vimus, utpote in quibus suas modernistae opiniones tueri palam ac propagare student. — Sacerdotum conventus Episcopi in posterum haberi ne siverint, nisi rarissime. Quod si siverint, ea tantum lege sint, ut nulla fiat rerum tractatio quae ad Episcopos Sedemve Apostolicam pertinent; ut nihil proponatur vel postuletur, quod sacrae protestatis occupationem inferat; ut quidquid modernismum sapit, quidquid presbyterianum vel laicismum, de eo penitus sermo conticescat. — Coetibus eiusmodi, quos singulatim, scripto, aptaque tempestate permitti oportet, nullus ex alia dioecesi sacerdos intersit, nisi litteris sui Episcopi commendatus. — Omnibus autem sacerdotibus animo ne excidant, quae Leo XIII gravissime commendavit: *Sancta sit apud sacerdotes Antistitum suorum auctoritas: pro certo habeant sacerdotale munus nisi sub magisterio Episcoporum exerceatur, neque sanctum, nec satis utile, neque honestum futurum* (1).

« VI. Sed enim, Venerabiles Fratres, quid iuverit iussa a Nobis praeceptionesque dari, si non haec rite constanterque serventur? Id ut feliciter pro votis cedat, visum est ad universas dioeceses proferre, quod Umbrorum Episcopi (2), ante annos plures, pro suis prudentissime decreverunt. *Ad errores, sic illi, iam diffusos expellendos atque ad impediendum quominus ulterius divulgantur, aut adhuc existent impietatis magistri per quos perniciosi perpetuentur effectus, qui ex illa divulgatione manarunt; sacer Conventus, sancti Caroli Borromaei vestigiis inhaerens, institui in unaquaque dioecesi decernit probatorum utriusque cleri consilium, cuius sit pervigilare an et quibus artibus novi errores serpent aut disseminentur atque Episcopum de hisce docere, ut collatis consilii remedia capiat, quibus id mali ipso suo initio extingui possit, ne ad animarum perniciem magis magisque diffundatur, vel, quod peius est, in dies confirmetur et crescat.* — Tale igitur consilium, quod a vigilantia dici placet, in singulis dioecesibus institui quamprimum decernimus. Viri, qui in illud adsciscantur eo fere modo cooptabuntur, quo supra de censoribus statuimus. Altero quoque mense statoque die cum Episcopo convenient: quae tractarint, decreverint, ea arcani lege custodiunto. Officii munere haec sibi demandata habeant. Modernismi indicia ac vestigia tam in libris quam in magisteriis pervestigant vigilanter; pro cleri iuventaeque in columitate, prudenter sed prompte et efficaciter praescribant. — Vocum novitatem caveant, meminerintque Leonis XIII monita: *Probari non posse in catholicorum scriptis eam dicendi rationem quae, pravae novitati studens, pie-tatem fidelium ridere videatur, loquaturque novum christiana vitae ordinem, novas Ecclesiae praeceptiones, nova moderni animi desideria, novam socialem cleri vocationem, novam christianam humanitatem, aliaque id genus multa* (3). Haec in libris praelectionibusque ne patiantur. — Libros ne negligant, in quibus piae cuiusque loci traditiones aut sacrae Reliquiae tractantur. Neu sinant eiusmodi questiones agitari in ephemeridibus vel in commentariis fo-

(1) Litt. Encycl. « Nobilissima », VIII Febr. MDCCCLXXXIV. — (2) Act. Consess. Epp. Umbriae, Novemb. MDCCXLIX, tit. II, art. 6. — (3) Instruct. S. C. NN. EE. EE. XXVII Ian. MCMII.

« vendae pietati destinatis, nec verbis ludibrium aut de-  
 « spectum sapientibus, nec stabilibus sententiis, praesertim,  
 « ut fere accidit, si quae affirmantur probabilitatis fines non  
 « excedunt vel praejudicatis nituntur opinionibus. — De  
 « sacris Reliquiis haec teneantur. Si Episcopi, qui uni in  
 « hac re possunt, certo norint Reliquiae cuiuspiam aucto-  
 « ritates, ob civiles forte perturbationes vel alio quovis casu,  
 « interierint; ne publice ea proponantur nisi rite ab Episcopo  
 « recognita. Praescriptionis argumentum vel fundatae prae-  
 « sumptionis tunc tantum valebit, si cultus antiquitate com-  
 « mendetur; nimirum pro decreto, anno MDCCXCVI a sacro  
 « Consilio indulgentiis sacrisque Reliquiis cognoscendis edito,  
 « quo edicitur: *Reliquias antiquas conservandas esse in ea*  
 « *veneratione in qua hactenus fuerunt, nisi in casu parti-*  
 « *culari certa adsint argumenta eas falsas vel suppositias*  
 « *esse.* — Qium autem de piis traditionibus iudicium fuerit,  
 « illud meminisse oportet: Ecclesiam tanta in hac re uti  
 « prudentia, ut traditiones eiusmodi ne scripto narrari per-  
 « mittat nisi cautione multa adhibita praemissaque decla-  
 « ratione ab Urbano VIII sancita; quod etsi rite fiat, non  
 « tamen facti veritatem adserit, sed, nisi humana ad cre-  
 « dendum argumenta desint, credi modo non prohibet. Sic  
 « plane sacrum Consilium legitimis ritibus tuendis, abhinc  
 « annis triginta, edicebat: *Eiusmodi apparitiones seu reve-*  
 « *lationes neque approbatas neque damnatas ab Apostolica*  
 « *Sede fuisse, sed tantum permissas tamquam pie credendas*  
 « *fide solum humana, iuxta traditionem quam ferunt, ido-*  
 « *neis etiam testimoniis ac monumentis confirmatam* (1). Hoc  
 « qui teneat, metu omni vacabit. Nam Apparitionis cuiusvis  
 « religio, prout factum ipsum spectat et relativa dicitur,  
 « conditionem semper habet implicitam de veritate facti:  
 « prout vero *absoluta* est, semper in veritate nititur, fertur  
 « enim in personas ipsas Sanctorum qui honorantur. Simi-  
 « liter de Reliquiis affirmandum. — Illud demum Consilio  
 « vigilantiae demandamus, ut ad socialia instituta itemque  
 « ad scripta quaevis de re sociali assidue ac diligenter adii-  
 « ciant oculos, ne quid in illis modernismi lateat, sed Ro-  
 « manorum Pontificum praceptionibus respondeant.

« VII. Haec quae praecepsimus ne forte oblivioni dentur,  
 « volumus et mandamus ut singularum dioecesum Episcopi,  
 « anno exacto ab editione praesentium litterarum, postea  
 « vero tertio quoque anno, diligenter ac iurata enarratione  
 « referant ad Sedem Apostolicam de his quae haec Nostra  
 « Epistola decernuntur, itemque de doctrinis quae in clero  
 « vigent, praesertim autem in Seminariis ceterisque catho-  
 « licis Institutis, iis non exceptis quae Ordinarii auctoritatibus  
 « non subsunt. Idipsum Moderatoribus generalibus ordinum  
 « religiosorum pro suis alumnis iniungimus».

His, quae plane confirmamus omnia sub poena temera-  
 tiae conscientiae adversus eos, qui dicto audientes esse re-  
 nuerint, peculiaria quaedam adiicimus, quae ad sacrorum  
 alumnos in Seminariis degentes et ad instituti religiosi ti-  
 rones referuntur. — In Seminariis quidem oportet partes  
 omnes institutionis eo tandem aliquando conspirent ut dignus tali nomine formetur sacerdos. Nec enim existimare licet, eiusmodi contubernia studiis dumtaxat aut pietati patere. Utraque re institutio tota coalescit, suntque ipsa tamquam palaestrae ad sacram Christi militiam diurna prae-  
 paratione fingendam. Ex iis igitur ut acies optime instructa prodeat, omnino sunt duae res necessariae, doctrina ad cultum mentis, virtus ad perfectionem animi. Altera postulat ut alumna sacrorum iuventus iis artibus apprime erudiatur quae cum studiis rerum divinarum arctiorem habent cognitionem; altera singularem exigit virtutis constantiaeque praestantiam. Videant ergo moderatores disciplinae ac

pietatis, quam de se quisque spem inicianter alumni, introspiciantque singulorum quae sit indoles; utrum suo ingenio plus aequo indulgeant, aut spiritus profanos videantur sumere; sintne ad parendum dociles, in pietatem proni, de se non alte sentientes, disciplinae retinentes; recte sibi fine proposito, an humanis ducti rationibus ad sacerdotii dignitatem contendant; utrum denique convenienti vitae sanctimonia doctrinaque polleant; aut certe, si quid horum desit, sincero promptoque animo consentur acquirere. Nec nimium difficultatis habet investigatio; siquidem virtutum, quas diximus, defectum cito produnt et religionis officia facti animo persoluta, et servata metus causâ, non conscientiae voce, disciplina. Quam qui servili timore retineat, aut animi levitate contemptuve frangat, is a spe sacerdotii sancte fungendi abest quam longissime. Haud enim facile creditur, domesticae disciplinae contemptorem a publicis Ecclesiae legibus minime discessurum. Hoc animo comparatum si quem deprehenderit sacri ephebei moderator, et si semel iterumque praemonitum, experimento facto per annum, intellexerit a consuetudine sua non recedere, eum sic expellat, ut neque a se neque ab ullo episcopo sit in posterum recipiendus.

Duo igitur haec ad promovendos clericos omnino requirantur; innocentia vitae cum doctrinae sanitate coniuncta. Neve illud praetereat, praecepta ac monita, quibus episcopi sacris ordinibus initiandos compellant, non minus ad hos quam ad candidatos esse conversa, prout ubi dicitur: « Pro-  
 « videndum, ut caelestis sapientia, probi mores et diurna  
 « iustitiae observatio ad id electos commendet.... Sint probi  
 « et maturi in scientia simul et opere... eluceat in eis to-  
 « tius forma iustitiae ».

Ac de vitae quidem probitate satis dictum esset, si haec a doctrina et opinionibus, quas quisque sibi tuendas assumperit, posset facili negotio seiungi. Sed, ut est in proverbiorum libro: *Doctrina sua noscetur vir* (1); utque docet Apostolus: *Qui... non permanet in doctrina Christi, Deum non habet* (2). Quantum operae vero dandum sit addiscendis rebus multis equidem et variis, vel ipsa huius aetatis conditio docet, nihil gloriosius efferentis quam lucem progradientis humanitatis. Quotquot igitur sunt ex ordine cleri si convenienter temporibus velint in suis versari muneribus; si cum fructu *exhortari in doctrina sana, et eos, qui contradicunt, arguere* (3); si opes ingenii in Ecclesiae utilitatem transferre, oportet cognitionem rerum assequantur, eamque minime vulgarem, et ad excellentiam doctrinæ proprius accedant. Luctandum est enim cum hostibus non imperitis, qui ad elegantiam studiorum scientiam saepe dolis consulat adiungunt, quorum speciosae vibrantesque sententiae magno verborum cursu sonituque feruntur, ut in iis videatur quasi quid peregrinum instrepere. Quapropter expedienda mature sunt arma, hoc est, opima doctrinæ seges comparanda omnibus, quicumque sanctissimis perar-  
 duisque muneribus in umbratili vita se accingunt.

Verum, quia vita hominis iis est circumscripta limitibus ut ex uberrimo cognoscendarum rerum fonte vix detur ali-  
 quid summis labiis attingere, discendi quoque temperandus est ardor et retinenda Pauli sententia: *non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem* (4). Quare, quum clericis multa iam satis eaque gravia sint imposita studia, sive quae pertinent ad sacras litteras, ad Fidei capita, ad mores, ad scientiam pietatis et officiorum, quam asceticam vocant, sive quae ad historiam Ecclesiae, ad ius canonicum, ad sacram eloquentiam referuntur; ne iuvenes aliis quaestionibus consecrandis tempus terant et a studio praecipuo distrahantur, omnino vetamus diaria quaevis aut

(1) Deer. II Maii MDCCCLXXVII.

(2) II Ioan. 9. — (3) Tit. I, 9. — (4) Rom. XII, 3.

commentaria, quantumvis optima, ab iisdem legi, onerata moderatorum conscientia, qui ne id accidat religiose non caverint.

Ut autem suspicio segregetur omnis clanculum se inferentis modernismi, non solum omnino servari volumus quae sub numero secundo superius praescripta sunt, sed praeterea praecipimus ut singuli doctores, ante auspicandas ineunte anno praelectiones, Antistiti suo textum exhibeant, quem sibi quisque in docendo proposuerit, vel tractandas quaestiones, sive *theses*; deinde ut per annum ipsum exploretur sua cuiusque magisterii ratio; quae si videatur a sana doctrina discedere, causa erit quamobrem doctor illico amovetur. Denique, ut, praeter fidei professionem, iusiurandum det Antistiti suo, secundum adiectam infra formulam, et subscripto nomine.

Iusiurandum hoc, praemissa Fidei professione per formulam a sa. me. Decessore Nostro Pio IV praescriptam, cum adiectis definitionibus Concilii Vaticani, suo antistiti item dabunt:

I. Clerici maioribus ordinibus initiandi; quorum singulis antea tradatur exemplar tum professionis fidei, tum formulae edendi iuriisurandi ut eas accurate praenoscant, adiecta violati iuriisurandi, ut infra, sanctione.

II. Sacerdotes confessionibus excipiendis destinati et sacri concionatores, antequam facultate donentur ea munia exercendi.

III. Parochi, Canonici, Beneficiarii ante ineundam beneficii possessionem.

IV. Officiales in curiis episcopalibus et ecclesiasticis tribunalibus, haud exceptis Vicario generali et iudicibus.

V. Adlecti concionibus habendis per quadragesimae tempus.

VI. Officiales omnes in Romanis Congregationibus vel tribunalibus coram Cardinali Praefecto vel Secretario eiusdem sive Congregationis sive tribunalis.

VII. Religiosarum familiarium Congregationumque Moderatores et Doctores antequam ineant officium.

Professionis fidei, quam diximus, editique iuriisurandi documenta, peculiaribus in tabulis penes Curias episcopales adserventur, itemque penes Romanarum Congregationum sua quaeque officia. Si quis autem, quod Deus avertat, iuriandum violare ausus fuerit, ad Sancti Officii tribunal illico deferatur.

(*Ad proximum numerum.*)

## EX SACRIS CONGREGATIONIBUS ROMANIS

### SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

#### Ex Congregatione Consistoriali.

*De secreto servando in designandis ad Sedes Episcopales.*

Rogantibus nonnullis Antistitibus, ut decretum S. C. Consistorialis diei 30 Martii 1910, de secreto servando in iis designandis, qui ad sedes episcopales proponuntur in Foederatis Statibus Americae Septentrionalis (1), extenderetur ad suas quoque dioeceses et provincias ubi eadem vel similis forma designationis obtinet, SSmus. D. N. Pius PP. X, de consulto S. C. Consistorialis, votis sibi oblatis obsecundans, statuit ac decrevit, ut memoratum decretum congrua congruis referendo, ad omnes

praedictas regiones extendatur eiusque praescripta ab omnibus, ad quos spectat, adamussim serventur. (Ex deer. d. ii mens. Iulii MCMX).

*De providendis Episcopalibus Sedibus in provincia S. Ioannis de Terranova.*

In provisione Sedium Episcopaliū memoratae provinciae ecclesiasticae eadem servari debent normae, quae vigent in provinceis dominii Canadiensis. (Ex decr. d. xviii mens. Iulii MCMX).

*Circa competentiam relate ad Missas votivas.*

Ad S. C. de disciplina Sacramentorum spectat concedere facultatem legendi Missam votivam, praeterquam coeco aut coecutienti, de quibus in normis Romanae Curiae (pars 2, cap. 7, art. 3, n. 10-g), etiam senio confectis vel alio morbo laborantibus; eademque S. C. in superioris memoratis casibus concedere valet facultatem non solum legendi Missam votivam B. M. Virginis aut pro defunctis, sed etiam alias Missas votivas a S. Sede adprobatas. (Ex decr. d. xvi mens. Augusti MCMX).

*De amotione administrativa ab officio et beneficio curato.*

Per decretum S. Congregationis Consistorialis datum d. xx mens. Augusti MCMX novae peculiares normae constituae sunt triginta duobus canonibus conclusae, quibus gravis haec ecclesiasticae disciplinae pars deinceps regatur (1).

#### Ex Congregatione S. Officii.

*Dubia circa interpretationem Motus Proprii « Quum per Apostolicas » d. vii mens. Aprilis MCMX (2).*

Exortis circa interpretationem Motus Proprii « Quum per Apostolicas » d. vii mens. Aprilis MCMX quibusdam dubiis, haec Supremae S. Congregationi S. Officii (Sectio de Indulgentiis) proposita, resoluta sunt prouti sequitur:

1. Utrum S. Congregationi S. Officii recognoscendae exhiberi debeant concessiones Indulgientiarum et facultatum Indulgientias respicientium, quae ante diem 1 Novembris 1908 a S. Congregatione tunc temporis Indulgentiis praeposita et a Secretariis Brevium et Memorialium obtentae fuerunt? — *Resp.* Negative.

2. An dictae exhibitioni sint obnoxiae concessiones Indulgientiarum facultatumque Indulgientias respicientium quae a Brevium Secretaria obtentae sunt post diem 1 Novembris 1908; quaeque sive ante sive post eamdem diem 1 Novembris 1908 a quovis alio, praeter reconsita, S. Sedis Officio seu Dicasterio prodierunt? — *Resp.* Affirmative ad utramque partem.

3. An Indulgentiae ac facultates Indulgientias respicientes ante diem 1 Novembris 1908 aliter quam per tramitem alicuius ex supra laudatis S. Sedis Officiis seu Dicasteriis obtentae, debeant et ipsae S. Congregationi S. Officii exhiberi ab eaque recognosci sub poena nullitatis? — *Resp.* Affirmative.

4. Utrum S. Congregationi S. Officii recognoscendae, ut supra, exhiberi debeant facultates, quae con-

(1) Decretum idem, utpote maximi momenti, integrum, ubi primum spatii angustiae concesserint, in *Vocem Urbis* referemus.

(2) Cfr. *Vox Urbis* curr. an. num. v, pag. 76.

ceduntur ex peculiari Apostolico privilegio ab Ordinibus Religiosis, tamquam ipsorum propriae, benedicendi pias imagines, coronas, scapularia, numismata et similia (ut pote a Minoribus pro Crucifixis ad Viam Crucis, a Praedicatoribus pro coronis Rosarii, a Carmelitis pro scapularibus B. M. V. de Monte Carmelo, etc.) eisque Indulgéntias adnectendi? — *Resp.* Negative.

Praeterea SSmus. D. N. Pius Papa X has resolutiones adprobans et confirmans declaravit « non fuisse suae intentionis comprehendere sub N. 1 Motus proprii *Quum per Apostolicas* facultatem Benedictionem Apostolicam cum Indulgéntia Plenaria una alterave vice, vel determinato alicui personarum coetui impertiendi ». (Ex deer. d. xvii mens. Iunii MCMX).

5. Utrum S. Congregationi S. Officii reeognoscendae exhiberi debeant concessiones Indulgéntiarum et facultatum Indulgéntias respicientium, quae ante diem 1 Novembris 1908 a S. Congregatione de Propaganda fide factae fuerunt suis subditis? — *Resp.* Negative.

6. Utrum exhiberi debeant recognitioni Congregationis S. Officii concessiones Indulgéntiarum et facultatum Indulgéntias respicientium factae ab eadem Congregatione de Propaganda Fide post diem 1 Novembris 1908 et in posterum ab eadem facienda suis subditis? — *Resp.* Negative et ad mentem. — Mens autem est ut firma et observanda maneat lex per Decretum S. Congregationis Indulgéntiarum ac SS. Reliquiarum a Benedicto XIV approbatum d. xxviii mens. Ianuarii MDCCCLVI, confirmatum a Pio PP. IX d. xiv mens. Aprilis MDCCCLVI, iterumque confirmatum a SSmo. Dno. N. Pio PP. X, die xxix mens. Septembribus MCMVIII (*Ordo servandus in Romana Curia, Normae peculiares cap. vii, art. 2, n. 81*), hoc est: « Impetrantes posthac generales Indulgéntiarum concessiones teneri, sub poena nullitatis gratiae obtentae, exemplar earumdem concessioneum ad Secretariam S. Congregationis deferre »; idest ad Secretariam S. Officii. (Ex deer. d. xv mens. Iulii MCMX).

*De doctrina Renovationis, quam vocant, Eschatologicae.*

Quum renuntiatum esset S. Congregationi S. Officii doctrinam Renovationis, ut aiunt, Eschatologicae, etsi iam alias per Sacram Indicis Congregationem proseriptam, libris ac diariis, inter quae nominanda cum primis ephemeras *Jésus-Roi*, quae Pictavii in lucem prodidit, adhuc inter fideles evulgari; Emi. ac Rmi. Dni. Cardinales in rebus Fidei et morum Inquisidores Generales, in plenario conventu habito die II mens Martii MCMX, omnibus mature perpensis decernendum censuerunt: « Doctrinam de Renovatione Eschatologica esse reprobandam ». Sequenti autem die SSmus. huiusmodi resolutionem adprobavit atque confirmavit. (Ex deer. per *Acta Apostolicae Sedis* vulgato d. xxxi mens. Augusti MCMX).

*Commentaria et Opera in Indicem librorum prohibitorum relata.*

Per decretum d. vii mens. Septembribus MCMX in Indicem librorum prohibitorum relata sunt Commentaria et opera quae sequuntur:

A) *Rivista Storico-critica delle Scienze Theologiche.*  
— Pubblicazione mensile. Roma.

B) Libri collectionis « *Manuali di Scienze Religiose* hucusque editi, scilicet:

1. ALFONSO MANARESI — *L'impero Romano e il Cristianesimo nei primi tre secoli.* — Vol. I. *Da Nerone a Commodo.* Roma, 1910.

2. ERNESTO BUONAIUTI. — *Saggi di Filologia e Storia del Nuovo Testamento.* Roma, 1910.

3. FRANCESCO MARI. — *Il Quarto Vangelo.* Roma, 1910.

### Ex Congregatione Rituum.

*De usu coronidum sive ex ligno, sive ex metallo in altaribus.*

Neque tolerari neque permitti potest, ne attenta quidem antiquissima consuetudine, in altaribus usus coronidum, sive hae ligneae sint, sive ex metallo decenti cooperatae, vel saltem de metallo totaliter confectae, non solum dum festivis diebus Sacra Solemnia sive Missae sive Vesperae celebrantur, sed etiam aliis temporibus. (Ex deer. d. xiii mens. Maii MCMX).

*De Missa seu Collecta in anniversario electionis seu translationis Episcopi, iuxta caeremoniale Episcoporum.*

Ex Decretis S. R. C. n. 3661 *Halifaxien.* 16 Aprilis 1866 ad III, et n. 3876 *Quebecen.* 13 Decembris 1895 ad VIII, dies electionis seu translationis Episcopi est ille, in quo provisio Ecclesiae Episcopalis a Summo Pontifice publicatur in Consistorio, sive ipsa electio seu translatio fiat in Consistorio, sive in eo tantum enuncietur electio seu translatio antea facta; atque ab eiusmodi publicatione consistoriali hucusque communiter computatum est anniversarium electionis seu translationis Episcopi ad effectum Missae seu Collectae respondentis iuxta Caeremoniale Episcoporum (lib. II, cap. xxxv). Nunc autem, de mandato SSmi per S. Congregationem Consistoriale patetfacto, Sacra Rituum Congregatio statuit ac declaravit diem anniversarium electionis seu translationis, in casu et ad effectum de quo agitur in citato libro et capite Caeremonialis Episcoporum, quoad Episcopos in Consistorio electos seu translatos, computandum adhuc esse a die publicationis consistorialis; quoad ceteros vero Episcopos antea electos seu translatos, in posterum non a die enunciationis in Consistorio, sed a die expeditionis decretorum seu litterarum Apostolicarum ad electionem seu translationem pertinentium; non obstantibus resolutionibus in contrarium hucusque editis. Denique Sacra eadem Congregatio iterum atque opportune declaravit, diem anniversarium electionis seu translationis Episcopi Coadiutoris cum futura successione relate ad Missam ipsam seu Collectam, eessante Coadiuti munere et adveniente Coadiutoris successione, item a die expeditionis decretorum seu litterarum Apostolicarum pro Coadiutoria supradicta esse computandum; prouti alias resolutum fuit, praesertim in una *Marianopolitana* n. 3440, diei 30 Ianuarii 1878. (Ex deer. d. viii mens. Iunii MCMX).

Sequitur inde ut etiam Collecta pro eligendo novo Episcopo, tempore Ecclesiae vacationis, iuxta disposi-

tionem Caeremonialis Episcoporum lib. II, cap. 38, num. 27, quae ex decreto n. 2672 in *Florentina* diei 19 Decembris 1829 ad III, continuari debuerat usque ad diem electionis seu Consistorii secreti, deinceps continuari beatum usque ad diem qua notitia de facta Episcopi electione seu translatione, sive per provisionem Consistorialem, sive per Litterarum Apostolicarum expeditionem, a Cura Dioecesana rite evulgata fuerit. (Ex decr. d. VIII mens. Iulii MCMX).

#### *Dubium circa Missam Parochialem.*

In quibusdam Dioecesisbus, Missa in Festis suppressis celebranda et applicanda pro populo, de speciali Indulso Apostolicae Sedis, pro peculiari aliqua intentione applicari potest, dummodo stipendum ad communione aerarium dioecesanum deferatur. Quaesitum a S. R. C. est utrum in Ecclesiis Parochialibus, ubi unus est tantum Sacerdos, dictis diebus, enunciata Missa necessario sit celebranda de die currente; an possit esse cum cantu de Requie in die et pro die obitus seu depositionis, physice vel moraliter praesente cadavere; et responsum affirmative ad primam partem; negative ad secundam. (Ex decr. d. VIII mens. Iulii MCMX).

#### **Ex Congregatione de Sacramentis.**

##### *De facultate dispensandi ab impedimentis matrimonialibus imminentे mortis periculo.*

Decreto S. C. de disciplina Sacramentorum edito die 14 mens. Maii 1909, statutum fuit « quemlibet Sacerdotem qui ad normam art. VII Decreti *Ne temere*, imminentे mortis periculo, ubi parochus vel loci Ordinarius vel Sacerdos ab alterutro delegatus haberi nequeat, coram duobus testibus matrimonio adsistere valide ac licite posse, et in iisdem rerum adjunctis dispensare quoque posse super impedimentis omnibus etiam publicis matrimonium iure ecclesiastico dirimentibus, exceptis sacro presbyteratus ordine et affinitate lineae rectae ex copula licita ». Circa quod decretum eidem S. C. dirimendum propositum est dubium: « An praefato decreto comprehendantur etiam parochi, etsi non fuerint ad normam declarationis S. Officii diei 9 Ianuarii 1889, habitualiter subdelegati a propriis Ordinariis »; et responsum est affirmative. (Ex decr. d. XXIX mens. Iulii MCMX).

##### *De aetate discretionis, ac de pracepto Confessionis et Communionis Eucharisticae.*

1. Aetas discretionis tum ad Confessionem tum ad S. Communionem ea est, in qua puer incipit ratiocinari, hoc est circa septimum annum, sive supra, sive etiam infra. Ex hoc tempore incipit obligatio satisfaciendi utrique pracepto Confessionis et Communionis.

2. Ad primam Confessionem et ad primam Communionem necessaria non est plena et perfecta doctrinae christiana cognitio. Puer tamen postea debebit integrum catechismum pro modo suae intelligentiae gradatim addiscere.

3. Cognitio religionis, quae in puer requiritur, ut ipse ad primam Communionem convenienter se praeparet, ea est, qua ipse Fidei mysteria necessaria neces-

sitate medii pro suo captu percipiat, atque eucharistium panem a communi et corporali distinguat ut ea devotione quam ipsius fert aetas ad SS. Eucharistiam accedat.

4. Obligatio pracepti Confessionis et Communionis, quae puerum gravat, in eos praecipue recidit, qui ipsius curam habere debent, hoc est in parentes, in confessarium, in institutores et in parochum. Ad patrem vero, aut ad illos, qui vices eius gerunt, et ad Confessarium, secundum Catechismum Romanum, pertinet admittere puerum ad primam Communionem.

5. Semel aut plures in anno carent parochi indicere atque habere Communionem generalem puerorum, ad eamque, non modo novensiles admittere, sed etiam alios, qui parentum confessarii consensu, ut supra dictum est, iam antea primitus de altari sancta libarunt. Pro utrisque dies aliquot instructionis et praeparationis praemittantur.

6. Puerorum curam habentibus omni studio curandum est ut post primam Communionem iidem pueri ad sacram mensam saepius accedant, et, si fieri possit, etiam quotidie, prout Christus Jesus et mater Ecclesia desiderant, utque id agant ea animi devotione quam talis fert aetas. Meminerint praeterea quibus ea cura est gravissimum quo tenentur officium providendi ut publicis cateschesis praescriptionibus pueri ipsi interesse pergant; sin minus, eorundem religiosae institutioni alio modo suppleant.

7. Consuetudo non admittendi ad confessionem pueros, aut nunquam eos absolvendi, quum ad usum rationis pervenerint, est omnino improbanda. Quare Ordinarii locorum, adhibitis etiam remediis iuris, curabunt ut penitus de medio tollatur.

8. Detestabilis omnino est abusus non ministrandi Viatum et Extremam Unctionem pueris post usum rationis eosque sepeliendi ritu parvulorum. In eos, qui ab huiusmodi more non recedant, Ordinarii locorum severe animadvertant.

Mandatum est insuper singulis Ordinariis ut huiusmodi decretum non modo parochis et clero significant, sed etiam populo, cui quotannis legi debet tempore pracepti paschalisi, vernacula lingua. Ipsi autem Ordinarii debebunt, unoquoque exacto quinquennio, una cum ceteris dioecesis negotiis, etiam de huius observantia decreti ad S. Sedem referre. (Ex decr. d. VIII mens. Augusti MCMX).

#### **Ex Congregatione de Religiosis.**

*Declarationes circa Decretum « Ecclesia Christi », editum die VII mens. Septembr. MCMIX « de quibusdam postulantibus in religiosas familias non admittendis. » (1)*

Circa Decretum *Ecclesia Christi* d. d. 7 Septembris 1909 *De quibusdam postulantibus in Religiosas Familias non admittendis* a S. C. Negotiis Religiosorum Sodalium praeposita; nonnullorum dubiorum solutio expedita fuit et data prout sequitur:

I. An postulantes ad Novitiatum admissi ante publicationem decreti et in ipso comprehensi, valide ad

(1) Cfr. *Vox Urbis* an. XIII, n. I, pag. 13.

professionem admitti queant, absque venia Apostolicae Sedis. — *Resp.* Negative.

II. An ii, qui in aliqua familia Religiosa primam tantum professionem emiserant ante publicationem decreti, valide admitti possint ad alteram professionem, scilicet solemnem in Ordinibus Regularibus, et perpetuam in ceteris Institutis, si in decreto comprehensi fuerint. — *Resp.* affirmative; sed Superiores sub gravi obligatione tenentur: a) oportunas, secretas iuratasque informationes exquirere Superiorum Seminarii, vel Collegii, vel Instituti religiosi *a quo*, circa veras causas exitus alumnorum, de quibus agitur; b) moraliter aliunde certos fieri et de bonis eorum religiosis moribus, et de solidae vocationis argumentis, et, si agatur de clericis candidatis, etiam de idoneitate litteraria. Et Superiores *a quo*, graviter onerata eorum conscientia, tenentur sincere et sub iuramento secretas huiusmodi informationes a Superioribus *ad quos* exquisitas transmittere.

III. An valide et licite ad Novitiatum admitti possint postulantes, qui a Seminariis vel a Collegiis sive ecclesiasticis, sive religiosis, vel a Novitiatu dimissi quidem non fuerunt *formaliter*, sed *aequivalenter*, id est quos superiores induxerunt vel hortati sunt, ut sponte discederent ne dimitterentur. — *Resp.* Valide quidem per se, sed omnino illicite. Et ad fraudes vel abusus e medio tollendos in re tanti momenti, Superiores nullum ex huiusmodi candidatis admittant, anquam per accuratas et secretas informationes a Moderatoribus Seminiorum, vel Collegiorum ecclesiastcorum sive religiosorum, vel religiosi Instituti, in quo novitii fuerunt, sub fide iuramenti habitas, certi omnino fuerint, candidatos, de quibus agitur; neque formaliter dimissos fuisse, neque *aequivalenter*. Quod si de candidatis clericis agatur, pariter constare debet de eorum idoneitate litteraria.

IV. An recipi valeant ii, qui professionem votorum temporaneorum in aliqua Congregatione emiserunt, sed, peracto tempore, eamdem sponte non renovarunt. — *Resp.* Affirmative, praehabitis tamen iuratis informationibus, ut supra, in responsione ad II et III.

(Ex deer. d. v mens. Aprilis MCMX).

## DIARIUM VATICANUM

(Mense Septembri MCMX).

### Coram SSmo admissions.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites, aliosque viros, qui sui quisque muneric gratia Pontificem de more adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Supremum Ord. Fratrum Minorum vulgo Conventualium Consilium, a nuper electo administro generali P. Sottaz coram adductum; Paulus Albera, novus Salesianorum rector maximus; Petrus Maria Vigorelli, praepositus generalis renunciatus Congregationis S. Pauli Apostoli, vulgo Barnabitarum; Sacerdotes Capitulares Ordinis Praedicatorum; Veuillot doctor, moderator Gallicae ephemeredis, cui titulus *L'Univers*; Sara Campo de Montt, vidua Reipublicae Chilensis Praesidis, recens vita functi.

### Pontificiae electiones.

Illius. et revmus. dnus. Gulielmus Walsh, archiepiscopus Dublinen. atque Hiberniae Primas, inter episcopos pontificio solio adstantes refertur.

— R. p. d. Antonius Maria Bonito, ipso postulante, ab archiepiscopali sede Amalphitana ad titularem archiepiscopalem sedem Auxumitanam transfertur.

Ipso pariter postulante, r. p. d. Dominicus Mannaioli, ab episcopali sede Montis Falisci transfertur ad titularem episcopalem sedem Pomariensem.

— R. p. d. Angelus Hyacinthus Scapardini, hactenus episcopus Nuscanus, in archiepiscopum tit. eccl. Antiochenae in Pisidia promovetur.

— R. d. Namitius Patrius Foley, rector cathedralis ecclesiae S. Augustini in America, Episcopus dicitur ecclesiae Tuguegaraoanae noviter electae in insulis Philippinis.

— R. d. Robertus Vicentini doctor, Substitutus eligitur Vinculi Defensoris apud Sacrae Romanae Rotae tribunal.

### Varia.

Sub die xxv mens. Augusti MCMX SS. D. N. Pius PP. X ad Galliae episcopos epistolam misit, qua actio Gallicae societatis, cui titulus *le Sillon*, frenaretur atque in certos fines redigeretur.

## ANNALES

### Cretensis quaestio.

Dum Venizelos et Pologiorgis, Cretensis alter atque simul Graecus civis qui pariter populi legatus dictus est in nationali Graecorum coetu, Athenas veniunt, ut coetus laboribus participes fiant, en Turcarum gubernium novas protestationes emitit coram nationibus Cretensis insulae tutelam gerentibus, ut consecaria vitentur quae, iuxta idem gubernium, Cretensi quaestioni ex hisce electionibus oriri possint. Exagerata quidem verba; quum nihil immutatum reapse fuerit, praesertim ex electorum intelligenti iudicio, qui sive Graecis officiis se abdicarunt, sive ipsum mandatum renuerunt. Evid ultra Turcis optandum erat? Atque eo magis quod Georgius, Graecorum rex, coetum « constituentem » inaugurans, in aditali oratione, opportuno sane consilio, quae in Graecia nunc regalem familiam, exercitum, populi concilium populique inter se amice coniungere queant ostenderit, de praeteritis discordiis, de regia stirpe quibusdam infecta partibus, deque Cretensi discrimine ne obiter quidem attingens.

Cretae interim gubernio praefectus est Maris doctor, Venizelos assecla, qui magistri prudentiam procul dubio erit sectaturus.

**Regia itinera.**

Inter regum vel administratorum itinera, quae transacto mense peracta sunt, dignum memoratum est quod Gulielmus, Germanorum Caesar, Vindobonam suscepit. Licet enim privata sub specie urbem Austrorum caput petiverit, obsequium scilicet et omnia seni Germani populi socio domestice offerendi, tantus fuit Vindobonensis civitatis aestus, ut huiusmodi eventus veluti antiquae amicitiae solemnis consecratio unanimiter recognitus fuerit.



### PUBLICI PER ORBEM COETUS legibus ferendis

In **Batavia** reginae oratione, magno cum plausu accepta, coetus sessiones resumptae.

In **Civitatibus Foederatis Americae Septentrionalis** comitia ad senatores eligendos habita, quae rei publicae quam vocant parti non omnino favorabilia cesserunt.

In **Graecia** constituens coetus pluribus suffragiis sanxit ut omnibus legatis emittendum esset fidelitatis iuramentum tum regi tum vigentibus adhuc legibus.

In **Lusitania** publici coetus instaurato operi legati qui gubernio obstant accedere renunt.



### PER ORBEM

Die I mens. Septembbris MCMX Victorius Bettoloni, Italorum poeta praeclarus, ex illorum schola qui « Commenticii » appellati sunt, in oppido Castro Rubro moritur.

Mediolani fit initium sollemnium in honorem S. Caroli Borromei, abhinc annos CCC in Sanctorum album relati.

— d. II Heaston natator fretum Britannicum frustra transire conatur.

— d. V Mayor des Planches dynasta, Italorum legatus apud Turcarum imperium, a fanatico non nullorum civium furore, Constantinopoli in urbe, inurbane impetratur.

Monteregali, Canadensi in urbe, Eucharisticus omnium gentium conventus, praeside Purpurato Patre Vincentio Vannutelli, Pontificio ad rem legato, maxima pompa agitur.

— d. VII Londini supremum obit diem Gulielmus Holman Hunt, pictor, eorum ultimus habitus, qui « praeraphaeliticum » genus diligerent.

— d. VIII In Moravia atque in Silesia graves inundationes urbes et oppida vastant.

— d. XI Caprese in oppido monumentum dicitur Michaëli Angelo Bonarrotio, inibi nato.

— d. XII Lorraine aviator fretum S. Georgii, quod Angliam ab Hibernia dividit, per latitudinem nonaginta quinque chilometrorum feliciter transit.

— d. XV ad Clitumni fontes, quas Iosue Carducci, Italorum poetarum nostrae aetatis maximus, cecinit, in eiusdem poetae honorem monumentum inauguratur.


— d. XV Lutetiae Parisiorum vita fungitur Nellidofius, Russorum apud Gallos legatus.

— d. XIX magnum ex ferriviarum ruina infortunium Rottenman, apud Austrorum stationem, lugetur.

— d. XXIII Geo Chavez, Peruvianus, in aeronavi Alpes ad Simplonem montem primus transmittit. Quum vero ad Domodossola oppidum terram iterum petit, converso velivolo obruitur atque ita vulneratur, ut post paucos dies omnibus deflendus extremum spiritum ediderit.

— d. XXIV ad Ariminum fractis limitibus flumina sata et ipsam urbem invadunt atque ingentia damna procurant.

— d. XXVII Berolini carbonis fossores ex condito ab opere recedentes cum militibus publicae tutelae praepositis manus in viis conserunt. Ex civili certamine plures hinc inde vulnerati recedunt.



### AENIGMATA

(vulgo REBUS)

I.

### DEVS OB OB

II.

SUNT SUNT  
SUNT SUNT IV.

**Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Doctorem IOSEPHUM FORNARI, Commentarii moderatorem (Roma, via del Governo Vecchio, 96) miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet opus, cui titulus :**

ALOISII CLASII Lusus pastorales.

(Latine vertit **Ioannes Battani**).

**Spatio deficiente, ad proximum numerum: Aenigmatum solutiones - Librorum recensio - Appendix: Arrae Gorgoniae, etc.**

**Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus**

ROMAE — Ex officina Societatis Romanae Editricis,